INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE IX APRILIS ANNI MDCCCLXXVII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. FRANCISCI DITTRICH** DE TERTULLIANO CHRISTIANAE VERITATIS REGULAE CONTRA HAERETICORUM LICENTIAM VINDICE COMMENTATIO. PARTICULA II.

BRUNSBERGAE.

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

Dr. FRANC. DITTRICH,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

II. De haereticorum licentia.

Venio nunc ad alteram commentationis meae partem, ut quomodo haeretici illius temporis se habuerint ad regulam fidei christianae ostendam et ita imaginem haeresis delineem.

1. Ac primum quidem statuendum est, haeresis naturam e mente Tertulliani nihil aliud esse quam effrenatam quandam licentiam, qua adducti haeretici alias prorsus veritatis regulas sequerentur (de praescr. 42) et aliter sentirent de usu rationis, de sacra scriptura, de regula fidei et traditionis. Jam vidimus supra, quantis laudibus auctor noster fidei simplicis vim ac praestantiam efferat. Pro certo enim habet, ita tantum certi aliquid de deo divinisque rebus cognosci posse, et immoderatam illam cupiditatem „ingenii sitim rigandi" fidem doctrinae christianae habere negligentem uberrimum cujusvis haeresis fontem esse. Nihil fidei christianae magis contrarium quam „scrupulositas humana fidem aspernata" (apolog. 47). Et sicut philosophi doctrinam veteris legis „ex proprio instituto curiositatis ad propria opera verterunt et corruperunt" (apolog. 47), ita haeretici ex iis, quae Christus docuit et apostoli praedicaverunt, quod cuivis placuit, pro suo arbitrio elegerunt, unde recte ab electione nomen suum invenerunt. „Haereses dictae Graeca voce ex interpretatione electionis" (de praescr. 6)[1]. Non curant regulam fidei „immobilem et irrefragabilem" (de virg. vel. 1), quam in quaestionem vocant. „Haec regula ... nullas habet apud nos quaestiones, nisi quas haereses inferunt et quae haereticos faciunt" (de praescr. 13). Quam ubi adulteraverunt (de monog. 2) atque everterunt (de

---

[1]) cf. Hieron. in Gal. 6: „Haeresis Graece ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat meliorem".

Isidorus (Origg. VIII, 3) Tertulliani verba ita interpretatur: „Haeresis Graece ab electione vocatur, quod scilicet unusquisque sibi eligat, quod melius illi esse videtur, ut philosophi Peripatetici, Academici et Epicurei, vel sicut alii, qui perversum dogma cogitantes arbitrio suo de ecclesia recesserunt. Inde ergo haeresis dicta Graeca voce ex interpretatione electio, qua quis arbitrio suo ad instituenda sive suscipienda quaelibet ipse sibi eligat. Nobis vero nihil ex arbitrio nostro inducere licet nec eligere, quod aliqui arbitrio suo induxerunt".

jejun. 1)[2]), suas sequuntur regulas (de praescr. 42). Non curant regulam traditionis et disciplinae[3]) neque erubescunt affirmare, ecclesias suo vitio ordinem regulae aliter accepisse, quam apostoli protulissent (de praescr. 27), porro tot ac tantas ecclesias in unam fidem errasse, et ipsum spiritum sanctum a Christo missum, ut ecclesias in veritatem deduceret, et ad hoc postulatum a patre, ut esset doctor veritatis, neglexisse officium suum sinentem ecclesias aliter intelligere, aliter credere, quod ipse per apostolos praedicasset (de praescr. 28). Non licet talequid christianis. „Nobis nihil ex nostro arbitrio indulgere licet, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo duxerit. Apostolos domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio quod inducerent elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt. Itaque etiam si angelus de coelis aliter evangelizaret, anathema diceretur a nobis“ (de praescr. 6). Hanc ob causam Tertullianus haeresim non dubitat humanam dicere praesumptionem (de jejun. 1).

Quum igitur haeretici spiritu privato ducti illud solum pro vero certoque habeant, quod ipsis placet quodque mente ac ratione perspicere valent, nihil omnino differunt a philosophis, et haereses „omnes ex subtililoquentiae viribus et philosophiae regulis constant“ (adv. Marc. V, 19). „Ex horum (philosophorum) semine etiam nostram hanc novitiolam paraturam viri quidam suis opinionibus ad philosophicas sententias adulteraverunt et de una via obliquos multos et inexplicabiles tramites sciderunt. (Quod ideo suggesserim, ne cui nota varietas sectae hujus in hoc quoque nos philosophis adaequare videatur et ex varietate defensionum judicet veritatem)“ (apolog. 47). „Haereticorum patriarchae philosophi“ (adv. Hermog. 8)[4]). „Ipsae denique haereses philosophia subornantur. Inde aeones et formae nescio quae infinitae et trinitas hominis apud Valentinum, Platonicus fuerat; inde Marcionis deus melior de tranquillitate, a Stoicis venerat..... Eadem materia apud haereticos et philosophos volutatur, idem retractatus implicantur: unde malum et quare? et unde homo et quomodo? ... Miserum Aristotelem, qui illis dialecticam instituit, artificem struendi et destruendi, versipellem in sententiis, coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino retractaverit. Hinc illae fabulae et genealogiae interminabiles et quaestiones infructuosae et sermones serpentes velut cancer, a quibus nos apostolus refraenans nominatim philosophiam contestatur caveri oportere, scribens ad Colossenses: Videte, ne qui sit circumveniens vos per philosophiam et inanem seductionem secundum traditionem hominum, praeter providentiam spiritus sancti“.. (de praescr. 7).

Quicunque igitur investigantes veritatem suo ingenio nimis confidunt et a regula fidei et disciplinae excedendum sibi putant, philosophi potius quam christiani censendi sunt. „Desinunt christiani haberi apud nos, philosophi vero illi cum talibus factis in nomine et honore sapientiae perseverant“ (apolog. 46). Quo fit, ut „Stoicum, Platonicum et dialecticum christianismum proferant“, et qui ad domini verba provocantes: „Omnia examinate, quod bonum est tenete“ „examinate credunt“, „omnibus male examinatis in electionem mali impingant per errorem“ (de praescr. 4). Unde haereses „corruptio veritatis“, „adulterae doctrinae“ (de praescr. 6) „avenarum sterilis foeni adulterium ab inimico diabolo postea superinductum“ (l. c. 31), „de nostro frutice, non nostro genere, veritatis grano, sed mendacio silvestres“ (l. c. 36).

---

[2]) cf. de praescr. 3: „Si etiam martyr lapsus a regula fuerit, ideo haereses veritatem videbuntur obtinere?“

[3]) cf. Iren. adv. haer. III. 2, 2: „Adversantur traditioni, dicentes se non solum presbyteris sed etiam apostolis existentes sapientiores sinceram invenisse veritatem“.

[4]) cf. de anima 2, 3, 18, 23. — Iren. l. c. II. 14, 3, 5, 6. — Hieron. ep. 133 ad Ctesiph.: „Philosophi, patriarchae haereticorum, ecclesiae puritatem perversa macularunt doctrina“.

2. At quaeret forsitan quispiam: Numquid Tertullianus in rebus ad fidem spectantibus omnem rationis usum investigandique studium prohibet? Nonne idem auctor, qui, ut supra demonstravimus, rationis humanae vim et auctoritatem defendit et ethnicos, qui sacrae scripturae fidem habere nolunt, ad suae animae testimonium revocat, contrariam prorsus sententiam tueri secumque repugnare videtur? Haec sunt illius verba: „Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post evangelium. Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus" (de praescr. 7). Accuratius vero rem spectanti facile apparebit, Tertullianum duplicem hominis statum distinguere, alterum videlicet ante fidem christianam susceptam, alterum post fidem; et dum illic rationi humanae latum campum dat, ubi vires suas exercere possit et debeat, hic ei arctiores fines terminosque, quos transire nefas, constituit. Quaerat sane ratio doctrinam christianam, quam ubi invenerit, quid opus est amplius quaerere? „Cum credimus, nihil desideramus ultra credere, nec opus est inquisitione post evangelium" (l. c.) Haereticis, qui semper illud „Quaerite et invenietis" in ore circumferebant „ad ineundam curiositatem" et „ad importandam scrupulositatem", ita respondet: „Quando hanc vocem dominus emisit, recordemur. Puto in primitiis ipsis doctrinae suae, cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset, et cum adhuc nec Petrus illum dei filium pronuntiasset, cum etiam Joannes de illo certus esse desisset. Merito ergo tum dictum est: Quaerite et invenietis, quando quaerendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat. Et hoc quantum ad Judaeos" (de praescr. 8). Et si omnibus dictum sit, postulat tamen ratio, illud interpretationis gubernaculum, ut credamus, Christum illis verbis non „infinitam inquisitionem exigere". „Sed imprimis hoc propono, unum itaque et certum aliquid institutum esse a Christo, quod credere omni modo debeant nationes, et idcirco quaerere, ut possint, cum invenerint, credere. Unius porro et certi instituti infinita inquisitio non potest esse. Quaerendum est, donec invenias, et credendum, ubi inveneris, et nihil amplius, nisi custodiendum, quod credidisti, dum hoc insuper credas, aliud non esse credendum ideoque nec requirendum, cum id inveneris et credideris, quod ab eo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quam quod instituit.... Interim ex fiducia probationis praevenio, admonens quosdam, nihil esse credendum ultra quae crediderunt id esse, quod quaerere debuerunt, ne Quaerite et invenietis sine disciplina rationis interpretentur" (l. c. 9). „Igitur quaerendum est, quod Christus instituit, utique quamdiu non invenis, utique donec invenias. Invenisti autem, cum credidisti. Nam non credidisses, si non invenisses, sicut nec quaesisses, nisi ut invenires. Ad hoc ergo quaerens, ut invenias, et ad hoc inveniens, ut credas. Omnem prolationem quaerendi et inveniendi credendo fixisti. Hunc tibi modum statuit fructus ipse quaerendi. Hanc tibi fossam determinavit ipse, qui te non vult aliud credere, quam quod instituit, ideoque nec quaerere. Ceterum si quia et alia tanta ab aliis sunt instituta, propterea in tantum quaerere debemus, in quantum possumus invenire, semper quaerimus et nunquam omnino credimus. Ubi enim erit finis quaerendi? ubi statio credendi? ubi expunctio inveniendi?" (l. c. 10).

Quaerere et investigare, ubi inventum est, non modo stultum est, sed etiam peccatum et nefas et negatio fidei. „Impune erratur, nisi delinquatur, quamvis et errare deliquisse est. Impune, inquam, vagatur, qui nihil deserit. At enim, si quod debui credere credidi et aliud denuo puto requirendum, spero utique aliud esse inveniendum, nullo modo speraturus istud, nisi quia aut non credideram, qui videbar credidisse, aut desii credidisse. Ita fidem meam deserens negator invenior. Semel dixerim: Nemo quaerit, nisi qui aut non habuit aut perdidit.... A d e o f i n i s e s t e t q u a e r e n d i e t p u l s a n d i e t p e t e n d i" (l. c. 11)[5]).

---

[5]) cf. de anima 2, ubi Tertullianus, philosophis „libertate ingenii" concessa, de christianis ita loquitur: „Christiano autem paucis ad scientiam hujus rei opus est. Nam et certa semper in paucis, et amplius illi quaerere non licet, quam

3. Attamen valde erraret, qui Tertulliani sententiam esse crederet, omnino non licere christianis inquirere in doctrinam traditam. Nihil obstat, quominus quaerant, dummodo ne apud haereticos, ubi omnia extranea et adversaria nobis. „Nemo inde instrui potest, unde destruitur; nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. Quaeramus ergo in nostro et a nostris et de nostro, idque dumtaxat, quod salva regula fidei potest in quaestionem venire" (l. c. 2). Nam „haec regula a Christo . . . instituta nullas habet apud nos quaestiones, nisi quas haereses inferunt et quae haereticos faciunt" (l. c. 13). Si quid vero dubium nec satis definitum, nihil impedit, quominus in quaestionem et controversiam vocetur. „Ceterum manente forma ejus (regulae) in suo ordine, quantumlibet quaeras et tractes et omnem libidinem curiositatis effundas" (l. c. 14). Haec autem inquisitio, ut recentiores theologi dicunt, non examen revisionis, sed dilucidationis sit oportet, non ad alium finem instituta, quam ut, remotis omnibus difficultatibus, doctrina ipsa clariori in luce appareat. „Est quidem et de communibus sensibus sapere in dei rebus, sed in testimonium veri, non in adjutorium falsi, quod sit secundum divinam, non contra divinam dispositionem" (de resurr. carnis 3). „Si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari: est utique frater aliqui doctor gratia scientiae donatus, est aliqui inter exercitatos, conversatus aliqui tecum curiosus" (de praescr. 14). At magna hac in re cautio ac providentia adhibenda est, ne fidei naufragium patiamur. „Tecum tamen quaerens novissime ignorare te melius sciet, ne quod non debeas noris, quia quod debeas nosti. Fides, inquit, tua te salvum fecit, non exercitatio scripturarum. Fides in regula posita est" (l. c. 14).

Ne mireris, Tertullianum ita de rationis usu in rebus ad fidem spectantibus judicare. Quum enim cognovisset, Gnosticos illo „quaerite et invenietis" male usos eo usque processisse, ut religionis christianae naturam penitus mutarent et everterent, suspicionem a se removere non potuit, omne illud quaerendi et investigandi studium non ex laudabili veritatis amore, sed ex nimia curiositate dubitatione haud vacua et gloriae cupiditate provenire. „Exercitatio in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiae studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti. Certe aut non obstrepant, aut quiescant. Adversus regulam nihil scire omnia scire est" (l. c. 4). „Nemo quaerit, nisi qui aut non habuit aut perdidit" (l. c. 11). „Si adhuc vere quaerunt, nihil adhuc certe repererunt, et ideo, quaecunque videntur interim tenere, dubitationem suam ostendunt, quamdiu quaerunt. Itaque tu, qui perinde quaeris, spectans ad eos, qui et ipsi quaerunt, dubius ad dubios, incertus ad incertos, caecus ad caecos in foveam deducaris necesse est" (l. c. 14). „Cum enim quaerunt, nondum tenent; cum autem non tenent, nondum crediderunt; cum autem nondum crediderunt, non sunt christiani" (l. c.) At quod factis probabant, verbis negabant affirmantes, se non dubitatione, sed veritatis defendendae studio ductos quaerere. „Quaerendum tamen dicunt, ut defendant" (l. c.). Ad quod Tertullianus, cui persuasum est, eos decipiendi gratia ita loqui, ut christianis „per sollicitudinis injectionem tractatus suos insinuent" (l. c.), ita respondet: „Antequam defendant, negant quod confitentur se nondum credidisse, dum quaerunt. Qui ergo nec sibi sunt christiani, quanto magis nobis? Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem disputant? Cui veritati patrocinantur, qui eam a mendacio inducunt?" (l. c.).

Accurate etiam hac ipsa de re disputat in libello „de corona", ubi quaestionem solvere studet, quid sit faciendum, si quando „observatio quaedam inveterata, quae praeveniendo statum fecit" (l. c. 3), aperte humanae rationi repugnat, ita ut rejicienda esse videatur. Numquid consuetudo ista observanda, an potius privati ingenii judicium sequendum? Respondet Tertullianus: „Plane ut ratio quaerenda

---

quod inveniri licet; infinitas enim quaestiones apostolus prohibet. Porro non amplius inveniri licet, quam quod a deo discitur; quod autem a deo discitur, hoc totum est".

sit, sed salva observatione, nec in destructionem ejus, sed in aedificationem potius, quo magis observes, cum fueris etiam de rationibus securus" (l. c. 2). „Quale est autem, ut tunc quis in quaestionem provocet observationem, cum ab ea excidit? et tunc requirat, unde habuerit observationem, cum ab ea desiit? quando etsi ideo velit videri ad quaestionem vocare, uti ostendat, se non deliquisse in observationis destitutione, nihilominus deliquisse eum constet retro in observationis praesumptione" (l. c. 2). Non sunt reprehendendi, qui discendi studio ducti quaestionem magis quam consultationem instituunt (l. c.); at „laudo fidem, quae ante credidit observandum esse quam didicit" (l. c.). Nam „rationem traditioni et consuetudini patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit disces. Interim nonnullam esse credes, cui debeatur obsequium" (l. c. 4).

4. Eatenus Tertullianus fines regula fidei christiana positos nondum excedit; mox tamen disputandi ardore abreptus eo procedit, ut sententias defendat, quae cum iis, quas ante tuebatur, reconciliari non possunt. Postquam enim recte asseruit, si lex non reperiretur, etiam traditionem non scriptam pro lege haberi posse nihilque differre, scriptura an ratione consisteret, quum et legem nonnisi ratio commendaret, ita rem prosequitur: „Porro si ratione lex constat, lex erit omne jam, quod ratione constiterit a quocunque productum. An non putas omni fideli licere concipere et constituere, dumtaxat quod deo congruat, quod disciplinae conducat, quod saluti proficiat?" (l. c. 4). Quam conclusionem, ut manifestum est, obreptam et falsam, ex qua non obscure montanistam cognoscas, ut defendat, provocat ad Domini verba Luc. 12, 27: „Cur autem non et a vobis ipsis quod justum est judicatis?" et apostoli Pauli ad Phil. 3, 15: „Si quid ignoratis, deus vobis revelabit", qui et ipse, quum praeceptum Domini non habuerit, consilium suum subministrarit et a semetipso dicere solitus fuerit, spiritum dei habens deductorem omnis veritatis, unde hoc ipsum consilium divini jam praecepti instar obtinuerit de rationis divinae patrocinio (l. c. 4). „Hanc nunc expostula salvo traditionis respectu, quocunque traditore censetur, nec auctorem respicias, sed auctoritatem, et imprimis consuetudinis ipsius, quae propterea colenda est, ne non sit rationis interpres, ut, si et hanc deus dederit, tunc discas, non an observanda sit tibi consuetudo, sed cur" (l. c. 4)[6].

Hisce aliisque dictis Tertullianus sibi quodammodo viam aperit ad ea, quae de hac quaestione in libro „de virginibus velandis" disserit. Qui antea praecipue consuetudinis vim et auctoritatem contra eos defenderat, quibus suo potius judicio quam disciplinae praeceptis indulgere et obsequi libet, in hoc libello diversas prorsus partes secutus proprii judicii auctoritatem tuetur atque commendat. Quamquam, id quod monendum hic videtur, Tertullianus non, ut ita dicam, subjectivam sed objectivam veritatem intelligi vult, tamen, si accuratius rem spectaveris, facile eum propriae rationis auctoritatem communi omnium opinioni praeferre invenies. Et sane quis unquam haereticus sua inventa veritati objectivae repugnare posse credidit? Quum igitur quidam Tertulliano virgines velandas esse acriter asserenti opposuisset, consuetudinem vigere prorsus contrariam, statim ab initio: „hoc exigere, inquit, veritatem, cui nemo praescribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita in usum per successionem corroboravit et ita adversus veritatem vindicatur. Sed dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit. Si semper Christus et prior omnibus, aeque veritas sempiterna et antiqua res. Viderint ergo quibus novum est, quod sibi vetus est. Haereses non tam novitas quam veritas revincit. Quodcunque adversus veritatem sapit, hoc erit haeresis, etiam vetus consuetudo" (de virg. vel. 1). Porro observare nos licet, Tertullianum, ut decet Montani asseclam, consuetudini in rebus fidei magnam quidem vim et auctoritatem tribuere, non vero in rebus ad disciplinam spectantibus. „Regula quidem fidei una omnino est, sola

---

[6]) cf. de jejun. 3: „Tunc agnoscetur observationis necessitas, cum eluxerit rationis auctoritas a primordio recensendae".

immobilis et irreformabilis... Hac lege fidei manente cetera jam disciplinae et conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet et proficiente usque in finem gratia dei" (l. c. 1). Quoniam humana mediocritas omnia semel capere non potuisset, paulatim directam et ordinatam et ad finem perductam esse disciplinam ab illo vicario domini, spiritu sancto. Sic et justitiam primo fuisse in rudimentis, dehinc per legem et prophetas promovisse in infantiam, dehinc per evangelium efferbuisse in juventutem, tandem per paracletum compositam esse in maturitatem. „Hunc (paracletum) qui receperunt, veritatem consuetudini opponunt" (l. c. 1). Sed haec hactenus, quum non Tertulliani haeretici, sed christianae veritatis contra haereticos vindicis sententiam eruere et exponere nobis in animo sit. Mirum sane, qui fieri potuerit, ut quod paulo ante totis viribus impugnavit, nunc non minori disputandi ardore tueatur et defendat.

5. Eadem licentia qua regulam fidei ab apostolis traditam haeretici sacram quoque scripturam tractare solebant, quam, si non libros aliquot penitus rejiciebant, aut mutilabant, aut, nulla ratione habita rerum verborumque contextus, ad suum sensum trahere nitebantur, et ita, ut Irenaei utar verbis, „de arena resticulas nectere affectabant"[7]). „Ista haeresis non recipit quasdam scripturas, et si quas recipit, et adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit, et si recipit, non recipit integras, et si aliquatenus integras praestat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stilus" (de praescr. 17). „Alius manu scripturas, alius sensus expositione intervertit. Neque enim si Valentinus integro instrumento uti videtur, non callidiore ingenio quam Marcion manus intulit veritati. Marcion enim exerte et palam machaera, non stilo usus est, quoniam ad materiam suam caedem scripturarum confecit, Valentinus autem pepercit, quoniam non ad materiam scripturas, sed materiam ad scripturas excogitavit, et tamen plus abstulit et plus adjecit, auferens proprietates singulorum quoque verborum et adjiciens dispositiones non comparentium rerum" (l. c. 38). „Si quid in sanctis scripturis offenderunt digestis, ex proprio instituto curiositatis ad propria opera verterunt, neque satis credentes divina esse, quominus interpolarent, neque satis intelligentes, ut adhuc tunc subnubila" (apolog. 47). Quum enim haeretici, qui „de scripturis, quae „eorum erant vires" (de praescr. 15) agere et de scripturis suadere" (l. c. 14) solebant, non possent non agnoscere, doctrinam christianam ex hoc potissimum fonte hauriri nec differentiam esse debere inter sacrorum librorum sensum obvium doctrinamque populo christiano traditam, quid relinquebatur, quam ut, si non „adulterum stilum ei inferebant", aut doctrinam ad scripturae sensum aut hunc ad illam accommodarent? „Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinae. Alias enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent, per quae docerent" (de praescr. 38). Non ita christiani. „Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinae sine corruptela instrumentorum ejus, ita et nobis integritas doctrinae non competisset sine integritate eorum, per quae doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei et in scripturis deprehensum detractione vel adjectione vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt scripturae ab initio suo. Ex illis sumus, antequam aliter fuit, antequam a vobis interpolarentur" (l. c. 38). Qui „scripturas sensus expositione evertebant", illi interpretandi modo indulgebant, quem dicimus allegoricum, quo ut Stoici ad evacuandas de diis fabulas, ita haeretici tanquam virgula quadam divina utebantur, ut locos obscuros suisque opinionibus contrarios interpretando ad suum sensum traherent et ita doctrinam christianam ad placita sua e philosophia vel aliunde petita converterent.

6. Jam satis ex iis, quae attulimus, patet, e mente Tertulliani veram haeresis naturam esse licentiam quandam effrenatamque libidinem, qua ducti haeretici suoque ingenio nimis confisi ex doctrinae

---

[7]) Iren. adv. haer. I. 8, 1.

christianae thesauro partim sacra scriptura partim regula fidei et ecclesiarum traditione contento, prout cuivis placuerit, illud solum sibi eligant, quod verum esse sui ingenii vi perspexerint. „Unusquisque de suo arbitrio adversus apostolos aut protulit aut recepit“ (de praescr. 37).

Haec autem haereticorum licentia non aliunde ducenda est, quam ex nimia propriae scientiae fiducia, ex animi elatione inanique superbia. „Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti catechumeni quam edocti. Ipsae mulieres haereticae quam procaces! quae audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes promittere, forsitan et tingere“ (l. c. 41).

Prudentia sua et scientia gloriabantur, unde nomen Gnosticorum sibi vindicabant, et pleniorem scientiam pollicebantur; quos vero simplici animo doctrinae traditae aures praebere et adhaerere cognoverant, eos ut homines stultos et simplices deridebant et despiciebant. „Si bona fide quaeras, concreto vultu, suspenso supercilio: Altum est, ajunt ... Si cominus certes, tuam simplicitatem sua caede dispergunt ... Ideoque simplices notamur apud illos, ut hoc tantum, non etiam sapientes; quasi statim deficere cogatur a simplicitate sapientia, domino utramque jungente: Estote prudentes ut serpentes et simplices ut columbae (Matth. 10, 16). Aut si nos propterea insipientes, quia simplices, num ergo et illi propterea non simplices, quia sapientes? Nocentissimi autem, qui non simplices, sicut stultissimi, qui non sapientes. Et tamen malim eam partem meliori sumi vitio. Si forte praestat minus sapere quam pejus, errare quam fallere“ (adv. Valent. 2)[8]).

Ut plerumque fieri compertum est, ita Gnostici quoque animo elati ceteros spernebant et in eos, qui ipsis assentiri abnuebant, insolenter se gerebant. „Hermogenes ... natura quoque haereticus, etiam turbulentus, qui loquacitatem facundiam existimet et impudentiam constantiam deputet, et maledicere singulis bonae conscientiae judicet“ (adv. Hermog. 1)[9]).

Quum igitur haereticorum errores non ex ignorantiae vel inscientiae, sed ex elati animi fonte emanarent ac proinde ex voluntate penderent mala[10]), factum est, ut Gnostici a sententia sua deduci non possent et diverticula potius flexionesque quaererent, quam errasse se confiterentur. „Si subtiliter temptes, per ambiguitates bilingues communem fidem affirmant[11]). Si scire te subostendas, negant quidquid agnoscant“ (adv. Valent. 1)[12]). Qui vero mala voluntate peccant, aegre resipiscunt[13]). Unde patet, haereticos in magna culpa esse et majori quam ipsos ethnicos. Ubi autem culpa, ibi imminet poena. „Haereses mortem aeternam et majoris febris ardorem inferunt“ (de praescr. 2). „A veritate divertere nemini expedit, qui meminerit futuri judicii, quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal stare, reddentes rationem imprimis ipsius fidei. Quid ergo dicent, qui illam stupraverint adulterio haeretico, virginem traditam a Christo?“ (l. c. 44).

---

8) cf. Iren. adv. haer. V. 19, 2: „Qui ergo relinquunt praeconium ecclesiae, imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus a blasphemo et impudente sophista“.

9) cf. Philos. IX: „*τὸν Ζεφυρῖνον, ἄνδρα ἰδιώτην καὶ ἀγράμματον καὶ ἄπειρον τῶν ἐκκλησιαστικῶν ὅρων (ὃν πείθων δόγμασι καὶ ἀπαιτήσεσιν ἀπειρημέναις ἦγεν* (sc. *Κάλλιστος*) *εἰς ὃ ἐβούλετο ὄντα δωρολήπτην καὶ φιλάργυρον) ἔπειθεν ἀεὶ στάσεις ἐμβαλεῖν ἀναμέσον τῶν ἀδελφῶν* etc.“

10) Alibi auctor noster a diabolo, cujus sint partes intervertendi veritatem, venire haereses asserit neque ab idololatria distare, quum et auctoris et operis ejusdem sint, cujus et idololatria (de praescr. 40).

11) cf. Iren. adv. haer. III. 15, 2: „Capiunt simpliciores et illiciunt eos, simulantes nostrum tractatum, ut saepius audiant; qui etiam queruntur de nobis, quod quum similia nobiscum sentiant, sine causa abstineamus nos a communicatione eorum, et quum eadem dicant et eandem habeant doctrinam, vocemus illos haereticos.“

12) cf. Iren. l. c. III. 2, 3: „Adversus tales certamen nobis est, o dilectissime, more serpentum lubricos undique effugere conantes.“

13) Iren. l. c.: „Etenim si non facile est ab errore apprehensam resipiscere animam, sed non omnimodo impossibile est errorem effugere, apposita veritate.“

7. Restat, ut quales nobis haeresis fructus ostendat Tertullianus videamus. Ac primum quidem, quum haeretici „de suo arbitrio adversus apostolos aut proferrent aut reciperent“, quid mirum, quod de rebus divinis non magis inter se consentiebant, quam veteres philosophi, qui et ipsi sapientiam sequebantur „in suas haereses multipartitam varietate sectarum invicem repugnantium“ (de praescr. 7)? „Prospicimus seposita illa sollemni dissimulatione sua plerosque dividi, de quibusdam articulis etiam bona fide dicturos: Hoc ita est, et: Hoc aliter accipio, et: Hoc non agnosco. Varietate enim innovatur regularum facies. Habet etiam colores ignorantiarum“ (adv. Valent. 4). „Schisma est unitas ipsa. Mentior, si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quae accepit, quemadmodum suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam et originis suae morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique penitus inspectae haereses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur. Plerique nec ecclesias habent; sine matre, sine sede, orbi fide, extorres sua in vilitate vagantur“ (l. c. 42). Ita inter se dissentientes haeretici „novitiolam paraturam (i. e. doctrinam christianam) suis opinionibus ad philosophicas sententias adulteraverunt et de una via obliquos multos et inexplicabiles tramites sciderunt“ (apolog. 47). Solo odio christianae veritatis quasi vinculo quodam inter se conjunguntur. „Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent“ (de praescr. 41).

Porro illis inconstantiam et mutabilitatem mentis, Hermogeni impudentiam et vitam inhonestam, omnibus vero cujusvis generis Gnosticis mores dissolutos disciplinamque parum severam crimini dat. Relaxare enim eos oportuit disciplinae vincula, ut quam plurimos ad se allicerent. „Non omittam ipsius etiam conversationis haereticae descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit, sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suae congruens. Imprimis quis catechumenus, quis fidelis, incertum est; pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant, etiam ethnici si supervenerint; sanctum canibus et porcis margaritas, licet non veras, jactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinae, cujus penes nos curam lenocinium vocant. Pacem quoque passim cum omnibus miscent. Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent ... Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes. Nunc neophytos collocant, nunc saeculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector. Nam et laicis sacerdotalia munera injungunt“ (l. c. 41).

Proprium erat haereticorum non solum martyria fugere, sed tempore persecutionis etiam christianos ad defectum pellicere. Initio libri, qui inscribitur Scorpiace, comparatione instituta haereticos inter et scorpios, Tertullianus ut hi, ait, aestate homines vulnerent et veneno suo inficiant, ita et haereticos certo tempore armari et subornari in christianos i. e. tempore persecutionis, ut eos ad defectionem perducant. „Cum igitur fides aestuat et ecclesia exuritur de figura rubi, tunc Gnostici erumpunt, tunc Valentiniani proserpunt, tunc omnes martyriorum refragatores ebulliunt calentes et ipsi offendere, figere, occidere. Nam quod sciant multos simplices ac rudes tum infirmos, plerosque vero in ventum et si placuerit christianos (i. e. quorum fides cuivis aurae obnoxia est), nunquam magis adeundos sapiunt, quam cum aditus animae formido laxavit, praesertim cum aliqua jam atrocitas fidem martyrum coronavit. Itaque primo trahentes adhuc caudam de affectibus applicant (i. e. affectus movendo blande ac molliter accedunt et caudam applicant quos mox laesuri sunt) aut quasi in vacuum flagellant: Haeccine pati homines innocentes? Ut putes fratrem aut de melioribus ethnicum. Siccine tractari sectam nemini molestam? Dehinc adigunt: Perire homines sine causa. Perire enim et sine causa,

prima fixura. Exinde jam caedunt"[14]). ... Haec et si qua alia adinventa haereticorum venenorum quem non vel in scrupulum figant, si non in exitium vel in bilem, si non in mortem? ... Ceterum, si plagam satiaverit, intimat virus et properat in viscera; statim omnes pristini sensus retorpescunt, sanguis animi gelascit, caro spiritus exolescit, nausea nominis (puta christiani) inacrescit. Jam et ipsa mens sibi, quo vomat, quaerit, atque ita semel infirmitas, qua percussa est, sauciatam fidem vel in haeresim vel in saeculum exspirat" (Scorp. 1). Hisce haereticorum blanditiis ut scorpiis christianos admonet Tertullianus, ut scutum fidei opponant non haesitantis. „Nobis fides praesidium, si non et ipsa percutitur diffidentia" (l. c.)

Ut tempore persecutionis ita alias quoque haeretici omne studium curamque adhibebant, non ut ethnicos, sed ut christianos ad suas partes traherent. „De verbi autem praedicatione quid dicam, cum hoc sit negotium illis, non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi? Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur. Quoniam et ipsis opus eorum non de suo proprio aedificio venit, sed de veritatis destructione, nostra suffodiunt, ut sua aedificent. Adime illis legem Moysi et prophetas et creatorem deum, accusationem eloqui non habent. Ita fit, ut ruinas facilius operentur stantium aedificiorum quam exstructiones jacentium ruinarum. Ad haec solummodo opera humiles et blandi et summissi agunt. Ceterum nec suis praesidibus reverentiam noverunt. Et hoc est, quod schismata apud haereticos fere non sunt, quia cum sint, non parent" (de praescr. 42).

Quemadmodum Gnostici, ut supra vidimus, omnes promiscue, nulla probatione facta, ad suam communionem admittebant „pacemque passim cum omnibus miscebant" (l. c. 41), ita etiam temere omnibus familiariter utebantur. „Notata sunt etiam commercia haereticorum cum magis quam pluribus, cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis, curiositati scilicet deditis. Quaerite et invenietis, ubique meminerunt" (l. c. 43)[15]). Unde facile conjicere licuit, quae qualisve esset eorum doctrina

---

[14]) Etenim dicebant perire, qui martyria subirent, et perire sine causa. Quasi perirent, qui deo impendebantur! Aut quasi sine causa, qui pro Christi nomine! (Rigalt.).

[15]) Quid judicaverit Tertullianus de christianorum cum haereticis conversatione, non est hic latius exponere. Sufficiat paucos hic afferre locos ad rem illustrandam aptissimos. Praevie monendum est, idem valere de haereticis, quod de ethnicis, quum Tertullianus haeresim genus quoddam idololatriae esse doceat (de praescr. 40), quumque idem periculum incurrant, qui cum haereticis, ac qui cum ethnicis consortium ineunt. Ne christianorum animus a fide alienetur, usum commerciumque cum haereticis, quantum fieri possit, evitandum esse censet; omnino prohibet, ut dicere nos solemus, communionem in sacris, concedit vero consortium in rebus ad vitam mere saecularem spectantibus. Sunt enim christiani „homines cum ethnicis degentes, ejusdem victus, habitus, instructus, ejusdem ad vitam necessitatis" (apolog. 42). „Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris ceterisque commerciis cohabitamus in hoc saeculo. Navigamus et nos vobiscum et militamus et rusticamur et mercatus proinde miscemus, artes, opera nostra publicamus usui vestro ... Sed caerimonias tuas non frequento" (l. c.)

de anima 35: „Ethnicus homo adversarius noster est, incedens in eadem via vitae communis. Ceterum oportebat nos de mundo exire, si cum illis conversari non liceret. Huic ergo bonum animi praestes jubet."

de idolol. 14: „Etsi non prohibet nos conversari cum idololatris et adulteris et ceteris criminosis, dicens: Ceterum de mundo exiretis, non utique eas habenas conversationis immittit, ut, quoniam necesse est et convivere nos et commisceri cum peccatoribus, idem et compeccare possimus. Ubi est commercium vitae, quod apostolus concedit, ibi peccare, quod nemo permittit. Licet convivere cum ethnicis, commori non licet. Convivamus cum omnibus; collaetemur ex communione naturae, non superstitionis. Pares anima sumus, non disciplina, compossessores mundi, non erroris. Quod si nobis nullum jus est communionis in hujusmodi cum extraneis, quanto scelestius est haec inter fratres frequentare!"

de spect. 15: „Utinam ne in saeculo quidem simul cum illis moraremur: sed tamen in saecularibus separamur, quia saeculum dei est, saecularia autem diaboli."

apolog. 11: „Commercium, colloquium, convictum malorum et turpium probi quique respuitis."

„Adeo et de genere conversationis qualitas fidei aestimari potest. Doctrinae index disciplina est. Negant deum timendum. Itaque libera sunt illis omnia et soluta... Ubi veritas nulla est, merito et talis disciplina est... Ubi metus in deum, ibi gravitas, honesta et diligentia attonita et cura sollicita et allectio explorata et communicatio deliberata et promotio emerita et subjectio religiosa et apparitio devota et processio modesta et ecclesia unita et dei omnia" (l. c. 43).

8. Atque haec quidem haeresis natura, hi ejus fructus. Deus tantum evenire malum permisit, „ut fides habendo temptationem haberet etiam probationem" (de praescr. 1). „Et ideo haereses quoque oportebat esse, ut probabiles quique manifestarentur, tam qui in persecutionibus steterint quam qui ad haereses non exorbitaverint" (l. c. 4). „Contemplatur et cognoscit dominus, qui sunt ejus, et plantam, quam non plantavit, eradicat et de primis novissimos ostendit: et ventilabrum in manu portat ad purgandam aream suam. Avolent quantum volunt paleae levis fidei quocunque afflatu temptationum, eo purior massa frumenti in horrea domini reponetur" (l. c. 3). „Vane ergo et inconsiderato plerique hoc ipso scandalizantur, quod tantum haereses valeant" (l. c. 1). „Quin potius memores simus tam dominicarum pronuntiationum quam apostolicarum literarum, quae nobis et futuras haereses praenuntiaverunt et fugiendas praefinierunt, et sicut esse illas non expavescimus, ita et posse id, propter quod effugiendae sunt, non miremur" (l. c. 4.). Illud vero mirum, quomodo fieri potuerit, ut idem ille vir, quo nemo melius naturam atque indolem haeresis perspexit fructusque descripsit, paulo post a Montani haeretici partibus steterit. Respondeat ipse Tertullianus. „Et hoc mirum, opinor, ut probatus aliqui retro postea excidat? Saul, bonus prae ceteris, livore postea evertitur. David, vir bonus secundum cor domini, postea caedis et stupri reus est. Salomon, omnia gratia et sapientia donatus a domino, ad idololatriam a mulieribus inducitur. Soli enim dei filio servabatur sine delicto permanere" (l. c. 3).

---

de spect. 15: „Quid quod et ipse se judicat inter eos positus, quorum se similem nolens utique detestatorem confitetur? Nobis satis non est, si ipsi nihil tale facimus, nisi et talia factitantibus non conferamus."

de idolol.: „O melior fides nationum in suam sectam, quae nullam sollemnitatem christianorum sibi vindicat! Non dominicum diem, non pentecosten, etiamsi nossent, nobiscum communicassent; timerent enim, ne christiani viderentur. Nos ne ethnici pronuntiemur, non veremur."

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGOGORUM.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Theologiae pastoralis partem alteram docebit sexies per hebdomadem hora VII.
II. Disciplinam homileticam tractabit diebus Lunae et Jovis hora VIII.
III. S. Pauli epistolas ad Timotheum et Titum datas interpretabitur horis definiendis.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam medii aevi enarrabit quotidie hora IX.
II. Jus canonicum tradere perget bis per hebdomadem horis definiendis.
III. Repetitiones de historia ecclesiastica instituet semel per hebdomadem hora definienda.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

I. De justificatione et gratia, de s. sacramentis, de rebus denique novissimis tractabit quinquies vel sexies per hebdomadem hora X.
II. Grammaticam linguae hebraicae unacum exercitiis interpr. tradet ter per hebdomadem hora designanda.
III. Aliquot libri Geneseos capita interpretari perget bis per hebdomadem hora designanda.
IV. Scholas de lingua Gothica comparativas cum reliquis germanici idiomatis dialectis instituet semel bisve per hebdomadem horis designandis.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Apologetices reliquam partem tradet diebus Lunae et Jovis hora II.
II. S. Pauli epistolam ad Hebraeos interpretabitur diebus Martis, Mercurii, Veneris, Saturni hora VIII.
III. Grammaticam aut Syriacam aut Arabicam docebit bis per hebdomadem horis definiendis.

Lic. Jul. Marquardt.

I. Doctrinae ethicae quae est de virtutibus moralibus partem ulteriorem tractabit quinquies per hebdomadem hora XI.
II. Historiam literariam primaevae ecclesiae enarrabit bis per hebdomadem horis definiendis.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Meteorologiam et Climatologiam docebit et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Martis et Veneris hora XI—XII.
II. De chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.
III. Aut Astronomiam popularem cum Astrognosia conjunctam exponet, aut Trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro v. Sniadecki's sphaerische Trigonometrie, übersetzt von L. Feldt, tradet diebus Mercurii et Veneris h. XI—XII.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

I. Historiam medii aevi inde a Carolorum exitu tradet ter per hebdomadem hora VIII.
II. De Germanorum antiquitatibus disseret bis per hebdomadem hora VIII.
III. Literarum in Prussia cultarum historiam exponet semel per hebdomadem hora VIII.
IV. Historiam poesis christianae maxime apud Germanos enarrabit hora definienda.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

Nullas scholas habebit.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. Ciceronis de natura deorum libros II et III bis hebdomade hora IX interpretabitur.
II. Historiam litterarum Graecarum enarrare perget bis hebdomade.
III. Inscriptiones selectas interpretabitur bis hebdomade hora IX.
IV. Pindari carmina bis hebdomade interpretabitur.
V. Exercitationes philologicas h. d. instituet.

Dr. Jos. Krause.

I. Psychologiam docebit quater per hebdomadem hora X.
II. Historiam philosophiae medii aevi enarrabit bis per hebdomadem hora X.
III. Repetitoria philosophica offert semel per hebdomadem.

PUBLICA DOCTRINAE SUBSIDIA.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**

CERTAMEN LITERARIUM ET PRAEMIA.

Renuntiatio judiciorum de certamine literario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito suo tempore fiet.

In annum currentem (1876—77) pro certamine literario has quaestiones proponit

Ordo Theologorum:

I. Ex instituto Regio: De peccato originali disputetur ita, ut in quo ejus ratio formalis juxta mentem ecclesiae potissimum sit posita, ostendatur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: Quod legimus apud S. Augustinum (c. lit. Petil. II, 83), ad fidem nullum esse cogendum invitum, probetur et veterum Patrum dictis usuque ecclesiae illustretur.

Ordo Philosophorum

commilitones de praemio Regio certaturos quaerere jubet, quid de diis et de rebus divinis Pindarus sentiat.

Certantium commentationes sermone latino conscriptae et more consueto signatae ante diem XV m. Januarii anni sequentis Rectori Lycei tradendae sunt. Victoribus praemia constituta sunt ex instituto Regio LXXV, ex stipendio Scheill-Busseano C marcarum.

Promulgatum in sollemnibus Serenissimi Imperatoris et Regis Guilelmi nataliciis die XXII Martii anni MDCCCLXXVII.